



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Regvla Morvm Sive Tractatvs Bipartitvs De Sufficienti Ad
Conscientiam Rite Formandam Regvla In Quo Usus
Cujusvis Opinionis Practice Probabilis Convincitur Esse
Licitus**

Terillus, Antonius

Leodii, 1678

Quæst. XIII. Vtrùm ex opinione benigna sequatur, suam cuique
existimationem esse sufficientem conscientiaë regulam?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77827](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77827)

sed omnes omnino adversantes habet, ut ostensum est *quæst. 22. de Conf. prob.*

13. Objicit secundò. Ut multi ex Christianis omni ætate secuti sunt opiniones & resolutiones probabiles, ita quoque multi omni ætate damnati sunt. Hoc constat; non autem constat, quòd salvati vel damnati fuerint, quia operati sunt ex opinione probabili hoc titulo, quòd usus sic operandi antiquissimus fuerit. Ergo nemo salutis suæ securitatem huic antiquitati prudenter alligare potest. Ergo aliunde, non ex antiquitate concludendum est, quòd usus opinionis probabilis sit licitus, vel illicitus. Ita Celladeus hic §. 2. *in fine.*

Nemo ideo damnatus est, quia bona fide secutus est opinionem certò prædictè probabilem, &c.

Respondeo, multos Christianos omni ætate damnatos fuisse, etiam ex iis, qui secuti sunt opinionem certò probabilem, sed nego, quemquam eorum ideo damnatum fuisse, quia secutus est talem opinionem, si bonà fide operatus est ex persuasionem, qua certò probabiliter credit id sibi esse licitum. Nec mirum, quia hoc ipsum probamus, idque verum esse ex antiquitate & universalitate talis doctrinæ fat certò novimus; in rebus enim ejusmodi moraliter certum est, omnes omnino Doctores, probitate & doctrinâ præstantissimos, periculose errare non posse; tum quia est res scitu prorsus necessaria, tum quia ad universalia capita juris naturæ, & ad modum formandi conscientiam pertinet. In talibus autem manifesta præsumptio est,

omnes periculose non errare. Præterea si in ea periculose errassent, Deus Ecclesiam destruxisset.

14. Tertio. Idiotæ, qui tantam auctoritatem sequuntur, si errent, ex invincibili legis ignorantia errant, sicut & Doctores, qui ita senserunt. Ergo nec hi ita docendo, nec illi ita operando periculose errant. Ergo, si sit error, ille solùm materialis est, & ad peccatum nemini imputari potest. Sed quid loquor de errore materiali, seu non imputabili? Ipsa antiquitas, & constans Auctorum omnium per tot ætates consensus in tali materia fundat præsumptionem, ad minimum moraliter certam, nullum in tali re, sub propria ejus universalitate considerata, errorem latere potuisse, quia naturaliter repugnat, universales theses ad jus naturæ spectantes ita latere, ut omnes docti ac probi diligentissimè illas examinantes ita decipiantur, ut putent illud esse omnibus universaliter permissum jure naturæ, quod omnibus jure naturæ est verum. Talis est præsens materia. Ergo communis omnium consensus de veritate talis sententiæ, per plura sæcula continuatus, moraliter certificat nos, doctrinam illam nullatenus erroneam, sed verissimam esse. Itaque veritas hæc non ex præcisa antiquitate, sed ex illa circa talem peculiarem materiam, unà cum communi omnium consensu validissima præsumptione stabilitur.

Qui sequitur unanimes Doctorem sententiâ periculose errare nequit.

QUÆSTIO DECIMATERTIA.

Virum ex opinione benigna sequatur, suam cuique existimationem esse sufficientem conscientia regulam?

ASSERTIO UNICA.

Ex benigna sententia aperte sequitur, non omnem cujusq; existimationem de honestate operis quod facit, esse sufficientem conscientia regulam.

2. **D**EMONSTRATUR. Benigna sententia pro sufficienti conscientia regula in rebus incertis præscribit, ut operatio reguletur per judicium certò probabile de honestate operis. Rursus eadem sententia expressè tradit, omne opus, quod ex tali ad minimum judicio non procedit, esse peccaminosum. Sed evidens est, non omnem existimationem de honestate operis esse judicium probabile, & multò minus esse judicium certò probabile. Ergo ex benigna sententia evidenter sequitur, non omnem existimationem de honestate operis esse sufficientem regulam pro honestate operationis.

Ratio porro fundamentalis, cur judicium certò probabile sufficiat, & non sufficiat aliud quodvis pro conscientia ritè regulanda, ex eo desumitur, quòd prima principia synderesis reflexa, evidenter ostendunt honestatem operationis, adjun-

Mira Cella. I. dei pectus.



X aliis, quæ Celladeus contra benignam sententiam objicit, non infirmum est, quod *lib. 1. quæst. 5. §. 2.* multis probare contendit; scilicet ex illa necessariò sequi, quemque esse

tutum in conscientia, nec peccare, qui putat se honestè operari in eo quod facit. Ex quo semel, admisso, illico sequitur, suam cuique existimationem esse sufficientem conscientia regulam; ideoque nos frustra suadere in assignanda probabilitatis natura ac definitione; nam fatendum erit vel omnem omnino existimationem esse probabilem, vel aliquam non probabilem esse sufficientem conscientia regulam. Quodcumque autem dicatur, tota disputatio de probabilitate frustratoria erit in ordine ad præsentis quæstionis determinationem.

Propria cuiusque existimatio non est sufficientis conscientia regula.

adjungantur cognitioni reflexæ certificant nos de probabilitate nostri iudicii directi, atque cum illa constituent præmissas in forma, ex quibus evidenter sequitur, operationem hanc hic & nunc esse permissam ac licitam. E contra, nulla ejusmodi principia applicari possunt iudicio, de cujus probabilitate certi non sumus, ideoque nunquam in particulari certificamur de honestate operationis, quam ex iudicio non certò probabili ponimus. Unde operatio à iudicio probabili directa licita est; illicita verò quæ à iudicio improbabili dirigitur. Quæ omnia fusè explicata sunt in tract. de Conscientia prob. multis in locis: quæ consuli possunt, & hic frustra non sunt repetenda. Itaque aliud in re tam aperta non superest, quam ut fundamenta Celladei diruantur, & quæ ad complementum assertionis necessaria visa fuerint, suis locis, data opportunitate, explicentur.

SOLVUNTUR OBJECTIONES

Celladei.

Objecio 1. 3. **O**BJECIT primò. Homines variè dispositi variè iudicant de rebus eodem nomine expressis. Audito nomine beatitudinis avaro divitiarum, famelico cibus, ambizioso honor in mentem venit. Ergo pariter homines, utpote variè dispositi, variè de probabilitate iudicant, quodque unus vocat fundamentum magnum & probabile, illud alius parvum ac nullius momenti reputat. Ergo nulla certa regula statui potest de probabilitate. Sed illud demum dicendum erit probabile, quod quisque probabile reputat. Ergo eò demum venit, ut propria cuiusque existimatio sit regula ritè formandi conscientiam.

Homines, etsi variè dispositi, nò semper diversimodè iudicant de rebus.

Respondeo, homines, etsi variè dispositos, non sentire diversimodè de omnibus rebus, sed de iis solum, quæ inevidenter se produnt, quæque passionibus ac dispositionibus ipsorum diversimodè conveniunt. Jam omnes, declaratis terminis, idem intelligunt nomine opinionis probabilis, sicut omnes idem intelligunt nomine albedinis. Ergo sicut non discrepant, an albedo sit præsens, quando illa evidenter se prodit, ita neque discrepant de præsentia opinionis probabilis, quando illa evidenter se prodit. At illa tunc solum est regula, quando evidenter se prodit. Nos autem quasi. 5. & 6. de Consc. prob. fusè ostendimus, quæ & qualia sint signa & iudicia, tam respectu Doctorum quam Idiotarum, ex quibus probabilitas tam quoad se, quam quoad nos evidenter innotescit. Itaque ex nostris principiis atque sententia non quævis apprehensio, aut existimatio probabilitatis, sed sola certitudo ac evidentia de illius existentia est applicatio regulæ sufficientis ad ritè formandam conscientiam; in tali autem applicatione nulla potest esse diversitas. Quod si aliquis, vehementiâ passionis excaecatus, certum ac evidens iudicium de probabilitate partis minùs tutæ formare non possit, ille non excusatur si partem minùs tutam sectetur, quia non debet conscientiam suam format. Cogiter hæc Celladeus, & videbit ex nostra sententia non sequi, quod sua cuiusque existimatio sit regula debetè formandi conscientiam, aut quod pro formanda conscientia sufficiat, si aliquid quomodocumque probabile reputetur, cum omnia contraria expressè sequantur ex nostra sententia, ut dictum est.

Adde idem argumentum sub iisdem terminis

proponi posse contra positivum probabile, quod ipse pro sufficienti conscientia regula statuit. Homines enim, variè dispositi, diversimodè de illo iudicant. Ergo non est ipsum probabile positivum, sed propria cuiusque existimatio de tali probabili, ex qua cuiusque conscientia formatur. Quid ad hoc respondebis Celladee? fortasse responsione à me allata uteris. Hoc ausim dicere, nisi illà, aut alià, quæ prorsùs cum illa coincidat, utaris, te debetè non responsurum. Interim unusquisque videt, quàm misera sint argumenta à quovis contra alios objecta, quæ ipsemet solvere tenetur. Verùm defectus iste in argumentis Celladei frequentissimè occurret in sequentibus.

5. Objicit secundò. Si non propria cuiusque existimatio, sed sola vera & certa probabilitas sit regula conscientia, omnes recipientes consilium in magnam perplexitatem necessariò conjicientur. Scient illi quidem, suum Confessarum aut consultorem ita respondisse, sed absque revelatione scire non poterunt, an hæc illius responsio pertingat ad opinionem verè probabilem, aut quòd ille omnia præmiserit, quæ necessaria sunt ut resolutio ipsius verè sit probabilis. Confirmatur difficultas. Ponamus Confessarum aut Consultorem existimari quidem valde peritum, sed reipsà imperitum esse, ac frivolis tantùm motivis, quæ ipsi tamen maxima visa sunt, fuisse permotum. Excusabiturne petens consilium, si bona fide dictis Consultoris acquiescens sententiam ipsius sectetur? Si non excusetur, frustra laboramus in assignanda regula. Si excusetur, ideo hoc erit, quia operatur bonâ fide cum conscientia de honestate operis, excludente cognitionem & advertentiam actualem de peccato, quod ex mente Auditorum benignæ sententiæ sufficit, ut operatio sit honesta. At hæc advertentia & cognitio actualis peccati æquè excluditur per omnem existimationem de honestate operis. Ergo tandem eò venit, ut propria cuiusque existimatio de honestate operis sit regula sufficientis ad ritè formandam conscientiam. Hinc autem alia adhuc longè absurdiora sequuntur. Quid enim fiet, si opinio illa, à Consultore proposita, sit erronea, aut etiam hæretica? Excusabiturne, qui eam bona fide sequuntur, eò quòd consilium petentes, maximam habeant opinionem de gravitate ex doctrina sui Consultoris? Hac ratione Genevenses Calvino & Bezzæ fidem dantes, sed & Nero & Diocletianus, qui falsa persuasionem decepi, putabant Deos esse colendos, ac proinde credebant, Christianos cultum talem prohibentes fuisse supplicio dignos, eosque tanquam homines dæmonis ad decipiendos populos miram patentes meritò exterminandos, excusandi erunt. Remota quippe fuit à mente illorum omnis actualis cognitio, & advertentia peccati. Nam malum bonum existimabant, & bonum malum. Quid ergo dicimus? Ita objicit contra nos, atque ita nos interrogat Celladeus lib. 1. quasi. 5. §. 2. atque huic quæstioni ipse, exponens nostram sententiam, respondet his verbis. *Docent professores, actum his existimationibus conformem evasurum vel gravissimum, & honestum, quin de honestate operationis mam benigne sententiæ calumniam imponit, vel persuasio, etiam improbabili, etiam hæretica, maxime etiam pagana, sit æquè unicuique regula, ac demonstratio.*

Respondeo inprimis, alterutrum ex duobus necessariò

Celladei vel gravissimum, quin de honestate operationis mam benigne sententiæ calumniam imponit, vel persuasio, etiam improbabili, etiam hæretica, maxime etiam pagana, sit æquè unicuique regula, ac demonstratio.

necessariò admittere debere, scilicet Celladeum vel gravissimâ calumniâ ex industria omnes omnino integri sæculi Auctores onerare, vel certè turpissimè ac quodammodo intolerabiliter errare in exponendis aliorum sententiis, suâque phantasmata, pro sententiâ quam impugnat, imperitis venditare. Alterutrum, inquam inevitabiliter sequitur, quia certum ac indubitatum est, neminem ullius notæ ex Auctoribus nostræ sententiæ unquam docuisse, omnem actum, illa existimationibus conformem, evasurum rectum & honestum; sed omnes è contrario tales actus plerumque rejicere ut peccaminosos. Porro ut inevitabilitas istius illusionis disjunctivâ omnibus pateat, sciendum est, omnes Auctores nostræ sententiæ, agentes de conscientia, expresse docere, conscientiam vincibiliter errantem à peccato non excusare, sed omnem sequentem conscientiam sic constitutam necessariò peccare, quidquid faciat. Si contra illam agat, peccat contra conscientiam, quia sciens & volens facit quod judicat esse malum; si verò sequatur ejus dictamen, peccat contra legem. Hæc omnium, nemine dempto, est una vox eademque sententiâ; & tamen qui sic operatur, facit quod bonum esse existimat. Ergo omnes docent, actum, existimationi de honestate operis conformem, non semper esse bonum, sed sæpe esse peccaminosum. Porro omnes similiter docent, pleraque hæreticorum ac paganorum opera, qualia Celladeus commemoravit, à conscientia vincibiliter erronea ortum sumere; etiam tunc, quando judicantur bona; aut etiam strictè debita & præcepta existimantur. Ergo Celladeus vel ex industria gravem calumniam nobis impetit, si hæc novit, & eorum meminert; vel certè in exponenda nostra sententiâ turpissimè, & quodammodo intolerabiliter erravit. Quod cum ita sit, ego primum, utpote gravissimum crimen illi non imputo, quinimo eum talis sceleris purum existimo, sed eum à secundo, id est, à magna inaccuracy, turpique saltem rerum oblivione excusare non valeo.

Argumentum retorquetur.

6. Respondeo secundò, argumentum hoc ab ipso Celladeo esse solvendum; quia ille admittit, Idiotas in suis dubiis regulari posse ac debere à peritis per probabile, quod ipse positivum appellat. At hoc eidem inconvenienti subjacet, quia Idiota sciet quidem, suam Consultorem ita dicere, ac affirmare rem illam absque peccato fieri, quia honestas illius est positivè probabilis; sed quomodo sine revelatione sciet, illum verum dicere, aut talem rei investigationem præmississe, quæ necessaria est ad sciendum, an res illa ad talem probabilitatis statum perveniat? sed quid fiet, si Idiota summam de sui Consultoris sufficientia & probitate opinionem habeat? quid, inquam, fiet, si ille ex ignorantia aut errore dirigat consulentem ad praxim opinionum improbabiliam, aut etiam hæreticarum? Ecce necessariò labimur in perplexitatem, quam vitare intendimus, si Celladei sententiam sequamur; & quod plus est, non ipsa probabilitas positiva, sed sua cujusque existimatio erit regula conscientie.

Idiotæ bene norunt probabile ab extrinseco.

7. Respondeo tertio, directè, nullam prolixam perplexitatem sequi ex nostra sententiâ, quia plurima sunt signa infallibilia, per quæ idiotis ipsis extrinseca probabilitas de rerum honestate certissimè innotescit, de quibus fusè egi quæst. 6. de Conscientiâ probabilis, quæ si Celladeus legisset, fortè nunquam ista, aut ulla hæcè similia objecisset. Porro probabilitas, quæ Idiotæ diriguntur, est extrinseca probabilitas; cujus solius sunt capaces, non intrinseca, cujus capaces non sunt. Itaque licet ignorent, an Consultor vel Confessarius verum dicat, aut diligentiam sufficientem pro resolutione verè probabili adhibuerit, certò tamen sciunt, se illius dictis prudenter fidem dare, & ad ulteriorem veritatis indagacionem non obligari, eò quod ille habeatur vir peritus ac probus, qui proinde præsumitur nolle ea docere, quæ non novit sufficere. Hac ratione certa probabilitas extrinseca adest, per quam consulentes dirigantur ad agendum, & per quam excusantur, si errent in materia vetè incerta, & utrimque certò probabili.

8. Ad secundum casum de Directore imperitò, levissimis rationibus moto, qui tamen vulgò peritissimus habetur, dico consulentes, ejus directionem sequentes, excusari à peccato, quamvis errent, dummodò ea omnia exteriora adint, quæ requiruntur ad hoc, ut dictis illius certò prudenter credant. Tunc enim adest certa probabilitas extrinseca de honestate operis. Nec obstat, quod ille improbabili, aut etiam erronea doceat, quia Idiotæ, quos dirigit, invincibiliter errant. Error autem invincibilis eos certissimè à peccato excusat, etiam ex mente Celladei. Non tamen excusantur præcisè ob rationem à Celladeo tactam, quia scilicet formant conscientiam de honestate operis, absque ulla cognitione aut advertentia actuali de illius malitia; sed quia per judicium certò probabile ac prudens talem advertentiam excludunt, nec ullatenus tenentur talem malitiam advertere, aut veritatem ulterius indagare; hæc enim ablatis vincibiliter errant, & consequenter peccarent, quamvis nullatenus se peccare existimarent. Talia enim sunt peccata ignorantie, quæ nullus Auctorem sententiæ benignè negat. Itaque non frustra sudamus in explicanda probabilitate, quia sine illa, regula ad conscientiam ritè formandam sufficiens non habetur. Neque tandem eò labimur, ut sua cujusque existimatio sit regula conscientie ritè formandæ, ut patet.

Idiotæ sæpe excusantur, et si Director munere suo non fungatur.

9. Sed quid dicemus ad ultimos casus à Celladeo propositos? Dico, & auctacter dico, homines raro admodum, aut nunquam in illis excusari. Ratio est perspicua, quia homines raro, aut nunquam invincibiliter errant in illis. Præterea raro aut nunquam est certò probabile ipsis, quod talia liceant. Nullum enim judicium, ex vincibili ignorantia aut negligentia culpabili ortum, est probabile, ut omnes communiter censent. Jam ergò quando Idiotæ aliquid audiunt à viro summæ existimationis, quod aut communi fidelium sensui, aut praxi Ecclesie, vel lumini rationis, aut fidei repugnat, vel certè cum illis non bene coheret, tenentur non statim fidem dare, sed rem examinare, quia imprudenter crederent, & si errarent, vincibiliter erraret. Tales fuerunt omnes Gentilium errores de Deorum pluralitate, idolorumque cultu, si tamen unquam contigerit, ut hæc ita crederent esse bona, ut nullam actualem mali suspicionem haberent. Hæc enim & hæcè similia adeo lumini rationis repugnant, ut vix aut ne vix quidem fieri possit, quin intellectus in illis aliquam mali latentis suspicionem admitat. Eadem est ratio de illis, qui ab initio Hæresiarachis fidem dederunt; absque dubio enim in hoc peccarunt, quia privatorum hominum doctrinas communibus Ecclesie dogmatibus prætulerunt, cum tamen lumen ostendens id esse illicitum haud defuerit. Quod si loquamur de iis, qui in hæ-

Pagani suis absurdis blasphemis nunquam excusantur, quando excusantur in suis.

si educati fuerunt, error purè materialis ac prorsus iavincibilis non rarè in illis, maxime in idiotis, reperitur. Hi ergo, & alii omnes, qui ex aliorum falsa directione errant, per accidens excusantur, si iavincibiliter errent, seu quod idem est, si ex persuasione certò prudenti atque probabili absque obligatione ulterioris inquisitionis

conscientiam formant. Quæ omnia adeo clara, & rationi consentanea sunt, ut mirum sit, Celladeum res tam perspicuas tam indigesta oratione proponere potuisse, ac existimasse, tam apertam fallitatem ex rebus tam perspicuis deduci.

QUÆSTIO DECIMA- QUARTA.

Virum benigna sententia cuiuslibet auctori gravi auctoritatem tribuat, Romani Pontificis aut Concilii generalis auctoritati aequalem?

Celladeus declarat, se velle in arguendo nos imitari.

MIRABILIS, ni fallor, primo aspectu videbitur titulus iste, ab omni veritatis specie alienus. Verùm magis miranda apparebunt in decursu quæstionis, quam ideo instituo, quia Celladeus lib. 1. quæst. 7. fusè prosequitur hoc argumentum, atque nostra, ut ait, arte ad nos invadendum utitur. Nos, ad probandum usum opinionis minùs tutæ esse licitum, inter reliqua observamus, Pontifices Romanos, in rebus summi momenti ac in Ecclesiæ regimine, frequenter in praxi sequutos esse partem minùs tutam contra tutiorem probabilem, aut etiam probabiliorem. Quo argumento Celladeus nos magnum sententiæ rigidæ odium conlasse fatetur. Quocirca eadem arte uti statuit, ideoque contendit probare, benignam sententiam eo titulo absurdam esse & falsam, quòd cuius Auctori gravi tribuat auctoritatem, Summi Pontificis & Concilii generalis auctoritati æqualem, immo & majorem. Plurimum autem tribuit huic paradoxo, quod non ideo excutiendam censeo, quia ullam difficultatem habeat (ex hoc enim capite tota quæstio omitti potuisset) sed quia similia paradoxa imperitos non parùm movere solent, nisi excutiantur, & dissolvantur. Sit ergo.

ASSERTIO PRIMA.

Celladeus haud peritum artis nobis ab ipso tributa, seu argumenti à Romanorum Pontificum exemplis deducti imitatorum se ostendit.

Imperitò nos imitatur.

2. PROBATUR. Ars nostra, seu potiùs argumentum nostrum in eo consistit, quòd ex certis historiis, atque testimoniis indubitatis probemus, Summos Ecclesiæ Pastores, Sanctitatis ac prudentiæ laude conspicuos, non semel aut iterum, sed frequenter sequutos esse benignam sententiam, idque in rebus summi momenti, ad publicam Ecclesiæ administrationem spectantibus. Nec tamen quisquam audet os in cælum ponere, eosque peccati condemnare. Unde efficaciter inferimus, idem quoque nobis

ac omnibus in rebus minoris momenti licerè. Argumentum hoc fusè à me tractatum est quæst. 22. de Conscientia prob. à num. 183. ad 200. & à num. 227. usque ad finem quæst. Ubi efficaciter rejeci quidquid ad talia exempla enervanda adversarii congererant. Præterea hic etiam quæst. 8. idem argumentum prosecutus sum, praxique Romanorum Pontificum, eorundem doctrinam ac decreta addidi, ex quibus benigna sententia validissimè confirmatur. Jam ut Celladeus artem hanc, seu hunc arguendi modum congruè imitaretur, debuisset certissima Romanorum Pontificum exempla aut decreta afferre, ex quibus constaret, usum partis minùs tutæ, etsi probabiliter licitæ, esse peccaminosum, atque ab ipsis habitum pro peccaminoso. Secundò debuisset exempla à nobis allata, atque argumentum in illis fundatum distinctè examinare, atque illius nullitatem, si posset, ostendere. Verùm nil horum præstitit Celladeus, sed pro exemplis indubitatis attulit illationes, nescio quas, absque sufficienti motivo excogitatas; pro serio autem tantæ rei examine uno levi verbo, ut mox ostendam, argumentum eludere & exsufflare conatus est. Ergo incongruè artem nostram, seu nostrum ex hoc capite arguendi modum imitatus est, seu potiùs nullo modo est imitatus.

ASSERTIO II.

Responsio Celladei ad argumentum, à Summorum Pontificum exemplis desumptum, est prorsus insufficientis.

3. PROBATUR. Ad argumentum illud, prope initium quæst. 7. respondet hoc modo, non satisfactum negabimus, & dabimus eos usos esse opinionibus speculative quidem minùs probabilibus, non autem practice: practice autem probabilitas ex circumstantiis publicis & privatis constat, quas noverunt utique Romani Pontifices dispensantes, & que nos Theologos sepe latent: ideo absurdum potiùs est similia ad tribunal nostrum vocare, & sententiam pronuntiare. Hæc ille, nec verbum amplius pro responsione attulit. Porro responsio ista ex omni parte deficit. Inprimis, negare factum est negare Pontifices